



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Archiepiscopo Varisiensi & Episcopo Panidensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

piam contra te vel etiam regnum tuum, immo contra nos, seu venis contra se in eorum alterutro tentaverit machinari, licet conatus ipsius divino praesidio nostraque sollicitudine ac tuo studio resistentibus in nullo valeat prevalere, per quod utique non solum ista sed majori se redderet poena dignum, ad confusionem ipsius eo liberius quò justius procedamus; quamquam & hoc providerimus ad cautelam, ne in barathrum desperationis submersus liberius & efficacius in principio malignetur, qui si fuerit in primo conatu delusus, velut anguis conciso capite suae malignitatis virus ulterius effundere non valebit. Quocirca regalem magnificentiam monemus attentius & propensius exhortamur quatenus divinae congratulando iustitiae, quae te quodam modo justificasse videtur ab illo, ea quae hactenus facta sunt debita prosequens gratitudine, sic futurorum eventum longanimi patientia praestoleris ut tamen prudenti conamine diligenter occurras incursum malignorum; ne quid deficiat ad cautelam, regium nobis interim beneplacitum rescripturus, ut eo demum plenius intellecto, sicut procedendum fuerit procedamus. Nos enim tam in iis quam in aliis, quantum cum Deo & nostra possumus honestate, quae ad pacem tuam proveniant & honorem intendimus efficaciter promovere. Super quo iamdictus Praepositus nostram tibi referre valebit expressius voluntatem. Qui siquidem in prudentia illa & fide nostra tibi referre poterit qua tua nobis ipse portavit; propter quod non immerito ipsum duximus tuae celsitudini commendandum. Datum Laterani.

ARCHIEPISCOPO TYRONENSI,
& Parisiensi & Nivernensi Episcopis.

Epist. 11.
Ne debita aut
usurae per bien-
nium exigantur
à crucesignatis.

Inter cetera quae proficiant ad abolendam de Provinciae partibus haereticam pravitatem relatum est nobis hoc specialiter expedire, ut debitores qui alieno aere tenentur, à creditoribus suis cessantibus interim expectentur usuris quandiu ibi pro negotio fidei laborabunt, & Clericis pro eodem volentibus laborare negotio concedatur suos redditus per biennium obligare. Quocirca fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus auctoritate nostra suffulti super huiusmodi statutis & faciatis firmiter observari quod secundum Deum in tanta necessitate noveritis Ecclesiae suae negotio expedire. Datum Laterani.

HENRICO ILLUSTRIS
Constantinopolitano Imperatori.

Ubi à catholicis Imperatoribus fuerit constitutum, sicut legales edocent functiones, ut quilibet Ecclesiarum & piis locis legare liberè valeat bona sua, serenitatem tuam rogamus attentius & monemus & exhortamur in Domino quatenus si Milites vel alij possessiones suas Ecclesiarum legare voluerint, nullatenus impedias, vel te ipsum opponas, sed ea saltim cum onere suo ipsis legari permittas liberè ac quietè. Quod si forsan aliquis de possessionibus quae fuerunt Ecclesiarum ipsis legari Ecclesiis positus in extremis, quia idem non sua dimittere sed potius restituere videtur ablata, auctoritate praesentium districtius inhibemus ne id praesumas per te vel alios impedire. Alioquin venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopo Variensi & Episcopo Panidensi nostris domus districtius in praecipis ut contradictores quoslibet per censuram ecclesiasticam sublato cujuslibet contradictionis & appellationis impedimento compescant. Datum Laterani 15. Idus Martij, anno undecimo.

Epist. 11.
Ut non impediatur legari bona Ecclesiarum.

ARCHIEPISCOPO VARISIENSI
& Episcopo Panidensi.

Ubi à catholicis Imperatoribus fuerit constitutum &c. in eundem ferè modum usque impedire. Quocirca discretionis vestrae per apostolica scripta praecipiendo mandamus quatenus quoslibet qui apostolicae sedis inhibitione contempta id impedire praesumpserint, per censuram ecclesiasticam sublato cujuslibet contradictionis & appellationis obstaculo à praesumptione huiusmodi compescatis. Datum ut in alia.

Epist. 11.
Executoriis per eodem.

POTESTATI ET POPULO
Venerorum Constantinopolim commorantibus.

Ubi à catholicis Imperatoribus fuerit constitutum &c. usque impedire. Alioquin dilectis filiis Decano, Cantori, & Thesaurario sanctae Sophiae Constantinopolitanis nostris damus litteris in praecipis ut contradictores quoslibet &c. ut in alia. In eundem modum eisdem.

Epist. 14.
De calendaribus.

NOBILIBVS VIRIS BARONIBVS
apud Constantinopolim commorantibus.

Ubi à catholicis Imperatoribus &c. ut supra usque impedire. Alioquin venerabilibus fratribus nostris Variensi Archiepiscopo & Salombreae & Kallipolis Episcopis

Epist. 14.
De calendaribus.